

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

1078

1076

1082

1072

505

quando Dei causa in eorum loca venimus, sunt nobis duri et penitus nullum charitatis opus nobis impendunt et quidquid faciunt nobis, amore denariorum faciunt, sicut Sarraceni, qui in multis fidelius se habent ad nos, quam ipsi. Expertus sum, quod non libenter aperiunt ecclesiae ostium peregrino, nisi videant argentum promptum pro aperitione; non impertuntur potum aquae nisi comparatum argento, nec obtinere potuimus nullis precibus, ut aliquibus militibus calceamentis carentibus providerent, sed omnia denegabant et, quae denegare non poterant, torvo vultu et cum indignatione dabant, sed justo Dei judicio contingit eis illud dictum: quod honori subtrahitur, turpitudini reservatur. Subtrahunt enim peregrinis susceptionem hilarem, contra id 1. Petri IV.: Hospitales invicem sine murmuratione. Nec faciunt sicut Jeronymus dicit: Omnes, inquit, hospites laeta fronte suspicimus et pedes abluimus, praeter haereticos. Idcirco Deo disponente coguntur Sarracenos et infideles Arabes, latrones, fures cottidie hospitio suscipere sine murmure, quia opera minima denegant domesticis fidei, quibus potius subveniendum esset quam infidelibus, cum apostolus dicat: Maxime ad domesticos fidei, Gal. VI. Nec respiciunt vel pensant praeceptum nonum Catonis dicentis: Cui des, videto. Et quia non dant, cui deberent et qui gratus de modicis esset, coguntur dare abundanter, cui non deberent, ingratissimis canibus Arabibus, nec Deum nec hominem curantibus. Singulis enim diebus dant panes et pulmentum ad minus 80 Arabibus deserti, latronibus, et communiter centum veniunt, aliquando plures, et si non statim tribuere volunt, quod petunt, contra eos insurgunt et monasterium perturbant. Abundant enim et provisionem pinguem habent; nam quidam archieписcopus cretensis, amator S. Catharinae virginis, dedit monasterio decimas majores totius insulae et telonei partem in Thor, praeter alia, quae ignoramus. Insuper de toto Christianismo mituntur eis plures eleemosynae a multis, qui aestimant, bene rem dispensari, et pessime sunt expensae. Nam ipsi monachimet non debent sustentari a fidelibus, cum sint haeretici, quibus nulla eleemosyna nec legata sunt facienda, ut habeat canon. Ex datis etiam sustentant Arabes latrones, qui potius essent occidendi, nec quidquam aedificant pro Dei honore, et si etiam

1087

1067

1027

0977

0577

0077

Ende

Anfang

